

prout loquitur text. in l. *Fructus pendentes*, 43, ff. *de Rei vendic.*

Fructus consumpti appellantur illi, quos possessor in suos usus convertit, nec amplius existunt in rerum natura. Fructus non consumpti econtra censentur, qui adhuc sunt in rerum natura. Et hac multiplici fructuum divisione præsupposita, quantum ad alteram partem præsentis paragraphi,

117. *Spoliator violentus tenetur restituere rem ablatam, et omnes fructus ejus.* — Quæritur III. Utrum spoliator violentus tum rem ablatam, tum fructus ejus et damna illata restituere teneatur, et qualiter? Resp. I. Spoliator, seu violentus invasor, non solum tenetur, ac judicialiter compelli debet restituere rem ablatam, sed etiam omnes fructus ejus, tam perceptos, et consumptos, vel adhuc extantes, quam etiam illos, quos prior possessor percipere potuisset, si ipsi possidere fuisset licitum. Textus est in c. *Gravis*, 11, h. t. estque concors doctorum sententia. Concordat jus civile l. *Si de possessione*, c. *Unde vi*, ubi pariter dicitur, quod conventum interdicto *Unde vi*, seu violentum possessorem, « causam omnem præstare oportet: in qua fructus etiam, quos vetus possessor percipere potuit, non tantum quos percepit, venire non ambigitur. »

118. *Etiam illos, quos prior possessor percipere potuisset.* — Et notanter hoc ultimum additur; quia, dum dicitur, quod possessor malæ fidei teneatur restituere illos etiam fructus, qui percipi potuissent: istud ly « percipi potuissent, » referendum est ad petitorum spoliatorum, non vero ad possessorem violentum, seu prædonem spoliatorum; uti liquet tum ex posterioribus verbis cit. l. *Si de possessione*, c. *Unde vi*, tum etiam ex d. c. *Gravis*, h. t. Ubi Pontifex, loquens de restitutione fructuum percipiendorum, satis clare id ipsum insinuat, illis verbis: « Sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem. » Abbas in cit. c. *Gravis*, n. 13 et seqq. h. t.; et Bartolus in l. *Et ex diverso*, § *Sequitur*, in Glossa, ff. *de Rei vendicat*, solventes contraria.

119. *Et hoc amplius declaratur.* — Nec immerito hoc dicitur, atque notatur. Quia ex qualitate culturæ, quam exercet petitor, seu dominus spoliatus, facile contingere potest, ut ex re spolio ablata majores ille fructus percipere potuisset, ac ipsemet spolians possessor sive prædo. Quod si vero econtra spo-

liator majores inde fructus potuisset percipere, non videtur, quod exinde petitor spoliatus possit prætere interesse: tum quia nullum ob id damnum passus est: tum quia in cit. c. *Gravis*, h. t. solummodo fit mentio de fructibus qui per antiquum possessorem percipi potuissent. Abbas loc. cit. n. 14, in fin., istud asserens esse notandum.

120. *Spoliator tenetur etiam omnia damna illata plenarie resarcire.* — Resp. II. Insuper spoliator, seu violentus invasor, tenetur omnia damna, ex sua despoliatione alteri illata, plenarie resarcire, atque pro illatis injuriis competenter satisfacere. Ita unanimis doctorum; et præter jura proxime allegata, patet ex l. 1, § *Non solum*, ff. *de Vi et vi armat.* et l. 1, ac seqq. c. *Unde vi*, cum similibus. Id ipsum, et quidem clarius, habetur expressum in jure canonico cap. ult. *de Injuriis et dam. dat.* Idque merito: siquidem lumen naturale, atque ipsa justitiæ virtus, non solum exigit restitui alienum, seu rem violenter alteri ablatam; sed etiam resarciri pro possibili omnia damna injuste illata, et pro injuriis undequaque satisfieri, ne proximus indebite gravetur, atque gravatus remaneat, contra illud lumine naturali notum: « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. »

121. *Et antequam audiatur super proprietate, præmissa omnia spoliato ad obolum restituere.* — Atque hæc ad materiam præsentis tituli applicando, est sciendum, quod antequam spoliator audiatur, spoliatus debeat restitui quoad fructus et expensas, Barbosa in c. *Gravis*, n. 4, h. t. allegans Rotam in Lavellen. seu Melphien. pecuniaria, 18 novemb. 1620, coram Ubaldo, et in Romana sylvæ, 15 maii 1628, coram Verospio. Adeo quidem, ut conformiter dictis supra n. 8, spoliatus ad obolum usque sit restituendus, antequam spoliator audiatur super proprietate spoliati. Menochius remed. 1, *de Recuperand. possess.* n. 329, citans plures alios. Concordat Abbas in c. *Gravis*, n. 2, h. t., asserens quod ex interdicto *Recuperandæ* non solum veniat restitutio rei invasæ, sed etiam plenaria restitutio omnium mobilium inde ablatarum, re sarcitio damnorum, atque plenaria restitutio fructuum tum perceptorum, tum eorum, qui percipi potuissent: quamvis enim interdictum *Unde vi* de rebus mobilibus non detur principaliter, bene tamen accessorie, ut jam supra tit. præced. § 3, n. 99 et seqq. dictum fuit.

122. *Ubi de illota spoliato violentia constat, damna et interesse probantur per actoris juramentum; et qualiter?* — Resp. III. Si quidem constet de violenta illata, certum autem non sit, quantum damnum per spoliatorem fuerit illatum, et spoliatus singula, quæ perdidit, comprobare nequeat, sicque super ipsismet rebus ablati, vel invasi, ac damno dato controversia suboritur: tunc judex inspecta personarum et negotii qualitate, debet illud taxare, et juramentum actori, sive petitori spoliato deferre; et hoc jurante, quod tantum damnum, et non minus, passus fuerit, statur juramento ejus, ac juxta quantitatem taliter juratam judex reum, seu spoliatorem condemnare debet. Ita communiter et patet ex cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* Idemque habetur expressum in l. *Si quando*. C. *Unde vi*, ubi Summarium brevius sic loquitur: « Contra violentum, constituto de violentia, damna et interesse probantur per actoris juramentum, judicis taxatione præmissa. »

123. *Requiruntur tamen ad hoc quatuor conditiones; et quæ?* — Porro ut locum habeat dispositio hujus legis, ac cit. cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.*, sequentia quatuor copulative requiruntur. — I. Quod violentia plene probetur; puta, per propriam spoliatoris confessionem vel per testes, aut hujusmodi, non autem per solum juramentum spoliati: siquidem juramentum non est liquida probatio; ac proinde ubi requiritur legitima probatio, non sufficit juramentum solum, juxta Glossam notabilem in l. *Cum de indebito*. § *Legitimis*. ff. *de Probatione*. — II. Quod inspecta negotii ac personæ qualitate, fiat taxatio damni per judicem. — III. Quod juretur per spoliatum juxta formam taxatam. — IV. Quod sequatur condemnatio facta a judice secundum formam illam taxatam, Jason in d. l. *Si quando*. n. 7, C. *Unde vi*, et patent singula ex verbis illius legis, atque ex cit. cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa fiunt*.

124. *Possessor malæ fidei, licet violentus non sit, tenetur restituere fructus ex re aliena perceptos.* — Quæritur IV. An possessor malæ fidei, licet violentus non sit, teneatur fructus ex re aliena perceptos restituere? Resp. affirmative. Idque patet ex l. *Si fundum*. C. *de Rei vendicat.* et l. *Certum est*. C. eod. ubi dicitur: « Certum est, malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare. » Concordat textus expressus in § *Si quis a non domino*. Instit. *de Rerum divis.*, de quocumque

malæ fidei possessore indistincte pronuntians: « Qui alienum fundum sciens possederit, cum fundo etiam fructus (licet consumpti sint) cogitur restituere. » Ubi Glossa § *Cogitur restituere*, inquit, quod malæ fidei possessor teneatur de consumptis, « Conditione sine causa, » et de extantibus, « Rei vendicatione. »

125. *Imo et eos, qui a domino percipi potuissent.* — Quinimo possessor quilibet malæ fidei, non solum tenetur præstare fructus perceptos; sed etiam, qui a domino honeste percipi potuissent, l. *Fructus non modo*. ff. *de Rei vendicat.*, juncta Glossa ibid. in casu, textum illum intelligente de quolibet malæ fidei possessore: non distinguendo, an sit violentus, necne. Menochius, *de Recuperanda possess.* remed. 15, n. 602, et communis. Concordant proxime dicta n. 117 et seqq. Et de his minor est controversia inter doctores: major autem de restitutione fructuum per bonæ fidei possessorem præstandorum ex re aliena, seu postmodum per dominum illius rei evicta. Unde sit

§ VI.

DE RESTITUTIONE FRUCTUUM A BONÆ FIDEI POSSESSORE EX RE ALIENA PERCEPTORUM, SED NONDUM CONSUMPTORUM, FACIENDA.

126. *Præmittitur ordo questionum.* — Quæritur I. Utrum bonæ fidei possessor teneatur restituere fructus industriales ex re aliena perceptos, sed nondum consumptos? Et notanter additur, « fructus industriales: » quia de naturalibus est alia quæstio, de qua agitur proxime post istam. Additur etiam, « sed nondum consumptos: » nam de consumptis pariter specialis difficultas de qua ex professo dicitur § seqq. Quo prænotato,

127. *Possessor bonæ fidei, etiam sine titulo, fructus industriales ex re aliena perceptos facit suos.* — Resp. I. Possessor bonæ fidei, cum titulo, sive absque titulo, fructus industriales ex re aliena perceptos, facit suos, ita tamen, ut hosce necdum consumptos sed adhuc extantes, teneatur domino supervenienti una cum re evicta restituere: sicque dominium illorum fructuum non sit omnino perfectum, et irrevocabile. Ita Glossa in l. *Et ex diverso*. § *Non habendam*; et Bartolus ibid. § *Sed fructus industriales*. ff. *de Rei vendicat.*; Abbas in c. *Gravis*. n. 4, h. t.; Speculator tit. *de Fructibus et interesse*. § 1, n. 2; Covarruvias lib. I

Var. Resolut. cap. III, n. 6 et alibi; Menochius de Recuperand. possess. remed. 15, num. 394 et seqq., et alii.

128. *Idque probatur.*—Conclusio hæc quoad primam partem desumitur ex l. Bonæ fidei. 48, ff. de Acquir. rerum domin. et l. Qui scit. § I Porro. ff. de Usur. et § Si quis a non domino. Instit. de Rerum divis. In quo posteriori loco etiam hujus ratio insinuatur, dicendo, bonæ fidei possessoris esse fructus industriales, ex re aliena perceptos, « pro cultura et cura. »

129. *Idque probatur.*—Nec obstat, quod predictæ leges ex professo loquantur de eo, qui bona fide possidet cum titulo, v. g. emptionis, donationis, aut hujusmodi. Siquidem, hæc ipsum communiter extendunt doctores ad bonæ fidei possessorem etiam sine titulo, juxta Glossam loc. cit., ubi ait quod fructus industriales quilibet bonæ fidei possessor sive cum titulo, sive sine titulo, facit suos, secundam omnes. » Idque merito, tum ob allatam rationem impensæ culturæ, et laboris: tum propter textum in l. Fructus percipiendo, juncta Glossa §. Donata. ff. de Usuris: ubi cum titulo illegitimo (qualis pro non titulo habetur l. Quoties. ff. Qui satisfacere cogant.) lucratur quis fructus industriales.

130. *Idque probatur.*—Accedit ratio, quia spectato solo jure naturali, omnes fructus fundi alieni spectarent ad verum dominum ipsius fundi (nam quælibet res domino suo fructificat), sicque non efficerentur bonæ fidei possessoris: sed jus civile, ob impensam culturam et industriam, juncta bonæ fidei possessione, hunc primum efficit dominum tantum fructuum, per jura allegata, et notat Sanchez lib. II in Decalogum, cap. xxiii, n. 71. Ergo sicut in simili ex ejusdem juris communis ordinatione ad præscriptionem sufficit possessio bonæ fidei, sive cum titulo, sive absque titulo (quanquam hic requiratur longius tempus), ita impræsentiarum etiam sufficit bonæ fidei possessio, licet non interveniat specialis titulus: nam tempus illud longius abunde supplebit industria, et labor respectu fructuum industrialium a bonæ fidei possessore impensus.

131. *Eos tamen adhuc extantes tenentur domino supervenienti restituere.*—Altera pars conclusionis probatur per textum in l. Certum est C. de Rei vindicat. ubi dicitur: « Certum est, malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero extantes. » Ubi Glossa §. Bonæ fidei, hæc intelligit indistincte, sive quis bona fine

cum titulo, sive absque titulo possideat: in utroque enim casu fructus extantes una cum re ipsa sunt restituendi, per textum allegatum. Et hoc vel maxime procedit de fructibus adhuc pendentibus, seu percipiendis: hi enim fundo cedunt, cujus pars esse censentur, l. Fructus pendentes. ff. de Rei vindicat., ac proinde clarum est quod una cum fundo (deductis tamen expensis) restitui debeant. Id ipsum procedit de fructibus jam perceptis, nondum tamen consumptis: nam et hi, una cum re evicta, vero domino restitui debent; uti constat et d. l. Certum est, ibi: « Bonæ fidei vero extantes. » Idem desumitur ex § Si quis a non domino. Instit. de Rerum divis., ubi, licet bonæ fidei possessor pro cultura et cura fructus perceptos dicatur facere suos, illico tamen subjungitur: « Et ideo, si postea dominus supervenerit, et fundum vindicat, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. » Ex quibus verbis, argumento a sensu contrario desumpto, clare colligitur, quod de fructibus nondum consumptis, sive adhuc extantibus, dominus superveniens agere possit; uti notat Glossa ibid. §. Non potest; Sanchez loc. cit. n. 72; Menochius, de Recuperand. possess. remed. 15, num. 596, allegans alios.

132. *Sicque dominium illorum fructuum non est perfectum, et irrevocabile.*—Atque ex dictis sequitur ultima pars datæ n. 227 conclusionis, quod nimirum, licet ex dispositione et beneficio legis possessor bonæ fidei fructus industriales ex re aliena perceptos faciat suos ac proinde fructus illos salvo jure, tutaque conscientia retinere valeat, quandiu judicialiter nemo se opponit: horum tamen dominium, quod acquirit, non sit perfectum ac irrevocabile. Durat enim solum tandiu, donec dominus superveniens una cum re evicta etiam fructuum perceptorum, adhuc tamen extantium restitutionem judicialiter urgeat: tunc enim dominium illud instituta per dominum supervenientem actione elidi, et legibus sic ordinantibus ad ejus instantiam per judicem revocari potest, ac debet per jura proxime allegata: sicque dominium ejusmodi dumtaxat est imperfectum, ac revocabile.

133. *Et qua ratione fructus illi sint reddendi?*—Et si petas, qua actione id fieri possit? Resp. I. Quod in tali casu bonæ fidei possessor teneatur reddere fructus extantes, non quidem rei vindicatione, quia ipsos fuit lucratus: sed vel officio judicis, eo quod fructus illi provenerint ex re alterius, arg. d. l.

Certum est. C. de Rei vindicat. et notat Glossa in d. l. Et ex diverso. et Bartolus ibid. § In fructibus industrialibus. ff. de Rei vindicat. et Abbas c. Gravis. n. 6, et alii. Vel saltem conditione sine causa, arg. l. Si et me et Titium. 32, ff. Si certum petatur. ac suadet æquitatis ratio proxime allegata, quia videlicet fructus illi provenerunt ex re alterius. Covarruvias, cit. lib. I Var. resolut. cap. III, n. 6, concl. 1, post Ang. Aretinum § Si quis a non domino. Instit. de Rer. divis. et alios.

134. *Hæc fructuum restitutio non procedit, si bonæ fidei possessor lapsu triennii ipsos usu cepit.*—Resp. II. Nihilominus præfata fructuum restitutio est intelligenda, dummodo bonæ fidei possessor nondum per lapsum triennii fructus illos usuceperit, sive præscripserit. Nam si is probaverit, sese tales fructus (imo et naturales) sive consumptos, quamvis inde factus sit locupletior, sive nondum consumptos, jam habuisse, ac bona fide possedissee per integrum triennium, antequam ab actore seu vero domino, una cum fundo repeterentur, censetur eos præscripsisse, l. Sequitur. § Fructus. juncta Glossa §. Non fuerint. ff. de Usurpation. ac proinde ipsos amplius restituere non tenetur. Ita Covarruvias, cit. cap. III, n. 7, et Menochius, d. remed. 15, de Recuper. possess. n. 588, citans plures alios. Et hæc de fructibus industrialibus necdum consumptis: nunc pergendo ad fructus naturales,

135. *Possessor bonæ fidei cum titulo legitimo saltem colorato, lucratur fructus naturales; alias secus.*—Queritur II. Utrum bonæ fidei possessor lucratur etiam fructus naturales? Resp. I. Probabilius est, quod talis cum titulo legitimo, saltem colorato, lucratur etiam fructus naturales; non item quando nullum habet titulum. Ita Abbas in cit. c. Gravis. n. 4, h. t.; Bartolus in d. l. Et ex diverso. § Sequitur. ff. de Rei vindicat.; Covarruvias, cit. lib. I Var. resolut. cap. III, n. 6, concl. 1 et 2; Sanchez, lib. II in Decalog. cap. xxiii, n. 68, citans alios; ac præsertim Joannes Garcias tom. XVII Tractatum, tract. de Expensis et meliorat. cap. xxiii, n. 36. Etsi contrarium teneat Glossa in c. Gravis. § Fructus. h. t. et Glossa alia in § Si quis a non domino. § Fructus, Instit. de Rer. divis.; Speculator, tit. de Fructibus. n. 1 et 2, et non pauci alii, qui moti ex l. Fructus percipiendo. ff. de Usuris, infra n. 138 alleganda, tenent bonæ fidei possessorem, etiam cum titulo, fructus naturales non facere suos: sed teneri red-

dere universos, tum extantes, et quidem rei vindicatione, tum consumptos, dando eorum pretium. Et horum sententia una cum allato textu juris, convincit alteram partem conclusionis, juxta dicenda inferius. Verum quantum attinet primam ejus partem, ac loquendo de bonæ fidei possessore cum titulo, saltem colorato.

136. *Ratio prioris partis.*—Probatur conclusio ex l. Bonæ fidei. 46. ff. de Acquirend. rerum domin., ubi dicitur: « Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, suos interim facit: non tantum eos, qui diligentia et opera ejus provenerunt, sed omnes: quia quod ad fructus attinet loco domini pene est: » Ubi clausula illa, « Sed omnes » vel maxime ponderanda est: nam, qui dicit omnia, nihil excipit, c. Solite. § Nobis, de Majoritat. et obed., cum similibus: ac proinde sub clausula illa comprehenduntur fructus etiam naturales.

137. *Ratio prioris partis.*—Neque sufficit cum Glossa ibid. §. Sed omnes, hanc clausulam torquendo explicare de fructibus, qui diligentia alterius provenerunt: ut sensus sit, talem non tantum lucrari fructus industriales qui sua propria industria, sed etiam qui diligentia alterius provenerunt. Nam contra est, tum quia ly « omnes, » non refertur ad operantes, sed ad fructus ipsos: ac proinde generaliter de his omnibus, etiam naturalibus, intelligi debet; tum quia, nisi de istis omnibus lex illa loqueretur, frustra subjungeretur ratio illa generalis: « Quia quod ad fructus attinet (non distinguendo inter naturales, et industriales) loco domini pene est: » tum tandem, quia dictio Sed. est adversativa; ergo, ut juxta naturam adversativæ prioribus adverteretur, non tantum de industrialibus, verum etiam naturalibus accipi debet. Garcias loc. cit. n. 35.

138. *Proponitur et solvitur notabilis instantia.*—Objicies afferendo præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum. In l. Fructus percipiendo. 45. ff. de Usuris, sic habetur: « Fructus percipiendo uxor, vel vir ex re sibi donata, suos facit illos tantum, quos suis operis acquisivit (veluti serendo); nam si pomum decerpserit, vel ex sylva ceciderit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris: quia non ex facto ejus is fructus nascitur; » ergo data conclusio non subsistit. Hæc instantia multum torquet ingenia juristarum; adeo, ut non defuerint, qui putaverunt, in proxime allegatis legibus, nempe

I. *Bonæ fidei*. ff. de Acquir. rer. domin. et I. *Fructus percipiendo*. ff. de Usur. reperiri antinomiam juris civilis: sive repugnantia responsa, ut voluit Pinellus apud Garciam cit. n. 35, et Otomanus, § *Si quis a non domino*. Instit. de Rer. divis. apud Sanchez cit. cap. xxiii. n. 68. Verum quia contrarietas in jure non tam facile oportet admittere, I. *Tanta*, § *Contrarium*. C. de Veter. jure enucleand., et jura juribus, quantum fieri potest, concordanda sunt, c. *Cum expediat*. 29. de Elect. in 6, passim hæc opinio relinquatur, excogitando diversos modos, quibus dictæ leges commode inter se concilientur.

139. *Proponitur et solvitur notabilis instantia*. — Unde respondent aliqui, dictas leges ex eo sibi invicem non contrariari; quia loquuntur de diversis casibus, et circumstantiis. Nam in cit. I. *Bonæ fidei*, sermo est de possessore cum titulo competente ex contractu oneroso, nimirum ex emptione: contra in d. I. *Fructus percipiendo*, agitur de possessore cum titulo lucrativo, nempe ex donatione suborto. Ac proinde (inquiunt) mirum non est, quod ille fructus naturales faciat suos, non vero iste: cum aliud sit, lucra non facere, v. g. ex donatione, et aliud, damna pati, I. ult. c. de Codicill., quale damnum pateretur bona fide emens, si fructus naturales ex re empti non lucraretur, quos tamen lucraturus fuisset ex emptione cum alio celebrata. Ita nonnulli apud Garciam cit. cap. xxiii. n. 35, et Sanchez ubi supra, n. 63. Verum quia in d. I. *Fructus percipiendo*, generaliter subjungitur: « Non fit ejus, sicut nec cujuslibet (NB.) bonæ fidei possessoris: » simulque negari non potest, possessorem ex titulo oneroso, dum præter fructus industriales petit acquirere naturales, etiam agere de lucro captando: hinc præsens responsio, veluti insufficiens, merito ab aliis relinquatur.

140. *Proponitur et solvitur notabilis instantia*. — Deinde, ac melius respondent alii, in sæpe dicta I. *Bonæ fidei*, ff. de Acquir. rerum domin., sermonem esse de bonæ fidei possessore cum titulo legitimo (hoc est, legibus approbato, et quantum est de se, sufficiente ad transferendum rei dominium), ut est emptio: contra vero in cit. I. *Fructus percipiendo*. ff. de Usur., agi de possessore bonæ fidei sine titulo, saltem legitimo, prout n. seq. ostendetur. Ac proinde (inquiunt) mirum non est; quod iste non censeatur fructus naturales facere suos; bene tamen ille, absque

ulla dictarum legum contrarietate, eo quod de tam diversis casibus loquantur.

141. *Et concordatur textus I. Fructus percipiendo*, ff. de Usuris, una cum I. *Bonæ fidei*, ff. de Acquir. rer. domin. — Hac igitur responsione retenta, ad instantiam ex I. *Fructus percipiendo*, ff. de Usur. n. 138 allatam, negatur consequentia. Conclusio quippe nostra loquitur de bonæ fidei possessore cum titulo legitimo (hoc est, legibus approbato) saltem colorato: contra textus cit. I. *Fructus percipiendo*, dum vult possessorem bonæ fidei fructus naturales non facere suos, loquitur de possessore bonæ fidei sine titulo saltem legitimo. Et hoc patet ex eo: quia in d. I. *Fructus percipiendo* fit quidem mentio de aliquo titulo, sed solum de titulo donationis factæ inter virum et uxorem: atqui hujusmodi titulus non est legitimus, hoc est, per leges approbatus: quin potius per leges est reprobatus: cum donatio inter virum et uxorem de jure non subsistat; ut cap. ult. de Donat. inter virum et uxor. et I. I. ac. seq. ff. eod. Quia igitur paria sunt, non habere titulum, et habere titulum a jure improbatum (nam talis pro non titulus habetur, I. *Quoties*. ff. *Quia satisdare cogantur*.) haud, immerito, simulque absque ulla contrarietate, in cit. I. *Bonæ fidei* censeatur possessor bonæ fidei fructus facere suos, utpote perceptos cum titulo legitimo, de quo ibidem est sermo: atque hoc ipsum recte negatur in d. I. *Fructus percipiendo* de eo, qui hujusmodi fructus ex re aliena percepit sine titulo, saltem legitimo colorato.

§ VII.

DE RESTITUTIONE FRUCTUUM A BONÆ FIDEI POSSESSORE JAM CONSUMPTORUM FACIENDA.

142. *Bonæ fidei possessor non tenetur restituere ullos fructus ante litem contestatam consumptos, si ex eis non est factus locupletior*. — Quæritur I. An fructus bona fide ex re aliena percepti, et jam consumpti, debeant restitui, quando ex eis possessor non est factus locupletior? Resp. I. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus ante litem contestatam consumptos, quando ex eis non est factus locupletior; idque procedit non solum de fructibus industrialibus, sed etiam naturalibus, et sive cum titulo, sive absque titulo quis possederit. Ita Glossa in c. *Gravis*. §. *Fructus*, et Abbas ibid. n. 6,

§ VII. DE RESTITUTIONE FRUCTUUM A BONÆ FIDEI POSSESSORE, ETC. 413

et Barbosa n. 8. h. t.; Speculator tit. de *Fructibus et interesse*, § 1. n. 2; Covarruvias lib. I; *Var. resolut.* cap. III. n. 6 Sanchez lib. II in *Decalog.* cap. xxiii. n. 4, et communis aliorum.

143. *Idque probatur de fructibus industrialibus*. — Conclusio hæc, loquendo de fructibus industrialibus, patet ex § *Si quis a non domino*, Instit. de Rer. divis., ubi fructus industriales adjudicantur bonæ fidei possessori pro cultura et cura; adeo, « ut si dominus supervenerit, et fundum vendicet, de fructibus ab eo consumptis agere non possit. » Ne quidem ad pretium, ut explicat, et probat Glossa, Ibid. §. *Non potest*. Accedit ratio, quia obligatio restituendi ex duplici solum capite oritur; nempe vel ex parte rei acceptæ, seu possessæ, quæ domino suo reddi debeat; vel ratione injustæ acceptionis: atqui in proposito neutrum horum urget. Non secundum; quia loquimur de bonæ fidei possessore: nec primum; quia neque res ipsa, neque aliquid rei apud possessorem illum remanet, quando bona fide omnia consumpsit, nec inde factus est locupletior; ergo non tenetur ad aliquid restituendum. Et hæc ratio urget etiam de cæteris partibus datæ conclusionis: nihilominus specialiter

144. *Idque probatur de fructibus naturalibus*. — Probatur etiam altera pars conclusionis ex I. *Sed et loci*. 4. § *Post litem*. ff. *Finium regundor.* Ubi generaliter, et absque distinctione inter fructus industriales et naturales, vel inter bonæ fidei possessorem cum titulo, et sine titulo, dicitur: « Nam aut bona fide percepit, et lucrari eum oportet, si eos consumpsit. » Concordant textus illi, quibus statuitur, bonæ fidei possessores de fructibus consumptis teneri solum restituere id, in quo locupletiores facti sunt: inde enim a contrario sensu recte infertur, eos ad nihil teneri quando non sunt facti locupletiores. Sic quippe habetur in I. *Item veniunt*. §. *Eos autem*. ff. de *Petition. hæredit.*, ubi dicitur: « Eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos esse. » Et hoc amplius declaratur in I. *Sed et si lege*. § *Consuluit*. ff. eod., illis verbis: « Consuluit senatus bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur, sed in id dumtaxat teneantur, in quo facti sunt locupletiores. » Adeo quidem, ut bonæ fidei possessores nec teneantur ad pretium, nisi quatenus facti sunt

locupletiores. I. *Utrum autem*. ff. eod., ubi istud ex professo habetur decisum.

145. *Quando quis censeatur locupletior factus*. — Cæterum ex re aliena consumpta tunc censeatur quis locupletior factus, quando hac occasione bona sua fuerunt aucta: ut quia sumptus aliquos cæteroquin ex propriis bonis factururus, non fecit; aut quia ratione illius rei alienæ aliquod lucrum fecit: sin minus, non censeatur factus locupletior. Hinc in cit. I. *Sed et si lege*. § *Quod autem*. ff. de *Petition. hæredit.* dicitur, si quis ex re aliena, v. g. hæreditate sibi bona fide facta, lautius ad victum quotidianum impendit, quam alias impensurus fuisset, eum non censi factum locupletiolem quoad impensas lautius factas, sed solum, quoad sumptus ordinarios, quibus hac occasione pepercit. Similiter in cit. I. *Sed et si lege*. § *Consuluit*. ff. eod. declaratur, quod si bonæ fidei possessor ex re aliena, puta ex hæreditate, extraordinarios sumptus fecerit, sive aliquid dilapidaverit aut perdiderit, dum re sua se abuti putabat, non videatur factus locupletior; atque idcirco non sit condemnandus ad restitutionem. Idem dicendum, si quis hac occasione donavit aliquid, quamvis idcirco alterum obligaverit ad remunerandum: secus dicendum, si dona, sive antidota accepisset; nam talis censeatur factus locupletior, non ille, prout in cit. § *Consuluit*. notatur. Et ex his exemplis poterunt alia dijudicari.

146. *Tenetur tamen is restituere omnes fructus post litem contestatam consumptos*. — Resp. II. Nihilominus bonæ fidei possessor, re per dominum evicta, tenetur restituere universos fructus ejus post litem contestatam consumptos. Ita Glossa in cit. c. *Gravis*. §. *Fructus*, et Abbas ibid. n. 6, et Barbosa n. 8. h. t. cum communi; estque expressum in I. *Certum est*. c. de *Rei vindicat.*, ubi dicitur, quod bonæ fidei possessor fructus ante litem contestationem perceptos soleat cum ipsa re præstare « extantes: post litem autem contestationem universos. » Et merito, quia, ut inquit Glossa fin. ibid., malæ fidei incipit esse quoad fructus post litem contestatam primum perceptos. Concordat textus in I. *Et ex converso*. § *Ubi alienum*. ff. de *Rei vindicat.* et I. *Ediles etiam*, 25, § *Item sciendum*. ff. de *Ædilit. edict.* et § *Et si hæreditas*. Instit. de *Offic. judicis*, cum similibus.

147. *Et, si factus est locupletior, tenetur restituere fructus naturales ante litem contestatam consumptos*. — Quæritur II. An bonæ fidei